

DE  
SACRAMENTO MATRIMONII.

TITULUS DECIMUS QUINTUS.

SUMMARIUM SECUNDUM.

- 1 Denunciationes institutae sunt ad detejenda impedimenta.
- 2 Denunciationes non sunt de substantia Sacramenti.
- 3 Denunciationes non semper faciendae ante Matrimonium.
- 4 Denunciationes possunt posticipari justis de causis.
- 5 Hoc fit quando timetur. quod Matrimonium possit impediri.
- 6 Denunciationes cur debeant esse tres?
- 7 Potest dispensari super his tribus denunciationibus.
- 8 Non possunt omitti a Parocho nisi de licentia Ordinarii.
- 9 Denunciationum omissio non destruit Matrimonium.
- 10 Denunciationes faciendae tribus diebus continuis.
- 11 Non multa mora debet intercedere ab uno festo ad aliud.
- 12 Festi dies dispensari non possunt ab Episcopo.
- 13 Pro Festo intelligi potest dies magni concursus.
- 14 Denunciationes non possunt fieri extra Ecclesiam, et die non festo.
- 15 Denunciationes fieri debent in utraque Parochia.
- 16 Statim ac denunciationes factae sunt, an possit celebrari Matrimonium?
- 17 Debet intercedere duorum. vel trium dierum spatium.
- 18 Etiam si de licentia Ordinarii una tantum fieret denunciatio.
- 19 Eodem die ultimae denunciationis, celebrari non debet Matrimonium.
- 20 Si impedimentum detegitur, Parochus non amplius est sui juris.
- 21 Multo minus non potest ad Matrimonium procedere.
- 22 Parochi facultas cessat, donec ab Episcopo pronunciatum sit de impedimentis.
- 23 Matrimonium ad dictum unius Testis impeditur.
- 24 Testes duo, vel tres necessarij sunt ad Matrimonium.
- 25 Testium praesentia debet esse simultanea, non successiva.
- 26 Qualitas Testium non limitatur.
- 27 Foeminae possunt testificari de Matrimonio.
- 28 Consuetudo tamen non admittit Foeminas.
- 29 Non interest, ut Testes sint rogati.
- 30 Testes possunt esse per vim detenti, dummodo intelligant.
- 31 Facultas denunciandi provenit ex vi consensus.
- 32 Consensus haberi debet ante denunciationes.
- 33 Consensus est initium contractus.
- 34 Consensus habendus coram Testibus in Ecclesia, non in domo.
- 35 Occasione consensus debet dari facultas Parocho faciendi denunciationes.

- 36 Denunciationes repetendae, si infra duos menses Matrimonium non sequatur.
- 37 Alii ampliant ad quatuor menses.
- 38 Denunciationes omissae debent fieri ante consummationem Matrimonii.
- 39 Denunciationes faciendae infra Missam.
- 40 Nihil refert quod Missa dicatur á Parocho, vel ab alio.
- 41 Denunciationes debent fieri alta, et intelligibili voce.
- 42 Quo tempore Missae faciendae sint denunciationes.
- 43 Parochus in alterius Missa facere potest denunciationes.
- 44 In Ecclesia non Parochiali, sed subjecta, an haberi possint denunciationes?
- 45 Denunciationes debent fieri vernacula lingua.
- 46 Formula antiqua denunciationum,
- 47 Formula consueta compendiosa.
- 48 Populus debet informari de dispensatione denunciationum.
- 49 Denunciationes pro Viduis debent significare mortem conjugis.
- 50 Nuptiae non semper sunt benedicendae.
- 51 Nuptiae inter non amplius conjugatos sunt benedicendae.
- 52 Si fiat Matrimonium, dilata benedictione, sponsi debent separari.
- 53 Benedictio nuptiarum a solo Parocho faciendae.
- 54 Alienus Parochus benedicens non suos sponso peccaret.
- 55 Qui non habet jus in Matrimonio, neque illud habet in benedicendo.
- 56 Oblatio, seu elemosyna danda est Parocho ubi sit consuetudo.
- 57 Nuptiae secundae non sunt benedicendae.
- 58 Tabulae faciliores pro benedictione nuptiarum.
- 59 Consuetudo est benedicendi, si Foemina nondum fuerit benedicta.
- 60 Benedictio cadit supra Sponsam.
- 61 Color albus adhibendus est in Missa pro Sponsis.
- 62 Quare Foeminae nubentes primo sint benedicendae?
- 63 Benedicere secundas nuptias an sit peccatum?
- 64 Consuetudo tolerata benedicendi Virum Viduum.
- 65 Matrimonium fieri debet in Ecclesia.
- 66 Ecclesia est Sacramentorum.
- 67 Celebrans domi Matrimonium sine licentia Episcopi peccaret.
- 68 Formula dandi licentiam celebrandi Matrimonium extra Ecclesiam.
- 69 Intelligitur extra casum necessitatis.
- 70 Matrimonium in articulo mortis potest fieri in lecto, et domi.
- 71 Parochi non tam facile assistant Matrimonio extra Ecclesiam Parochialem quamvis sitam in Parochia.
- 72 Novus consensus non est necessarius pro benedictione.
- 73 Benedictio nihil addit quoad valorem Matrimonii rati.
- 74 Ratificatio, an et quando debeat fieri?
- 75 Ante contrahendum Matrimonium admonendi sunt sponsi, ut confiteantur, et communicent.
- 76 Contrahentes in peccato, peccant mortaliter.
- 77 Unum tantum peccatum committunt.
- 78 Sponsi communicandi de consilio.
- 79 Sponsi quomodo conversari debeant in Matrimonio?
- 80 Exempla a Sacra Scriptura desumpta.
- 81 *Fagundes* nihil scribit de Praecepto Ecclesiastico nuptias non celebrandi tempore prohibito.
- 82 Ista prohibitio non est ab omnibus nationibus recepta.
- 83 *Bellarminus* hanc prohibitionem inferit in suo Catechismo.
- 84 Antiquitus varia fuit prohibitio temporis.
- 85 Tempus prohibitum est impedimentum impediens.
- 86 Quare in aliquibus temporibus prohibeantur nuptiae?
- 87 Decreta Restrictionis Concilii Tridentini circa haec Tempora.
- 88 Solemnis pompa tantum nuptiarum interdicatur.
- 89 Sponsalia de futuro possunt fieri tempore prohibito.
- 90 Privata traductio Sponsae ad domum non est prohibita.
- 91 Eo tempore Sponsi abstinere debent ab actu conjugali.
- 92 Convivia Nuptialia prohibita sunt.
- 93 Episcopus potest super hoc dispensare.

- 94 Causae ob quas Episcopus potest dispensare Matrimonium contrahi tempore prohibito, omitta benedictione.  
 95 Episcopus debet esse rigorosus in dispensando.  
 96 Episcopus est Minister et Custos Sacrorum Canonum.  
 97 Matrimonium omni tempore contrahi potest.  
 98 In certis casibus requiritur facultas Ordinarii.  
 99 Non semper licite contrahi possunt Matrimonia.  
 100 Ecclesia habet potestatem reservandi quodcumque tempus.  
 101 Nuptiae si permittantur tempore prohibito, modeste fieri debent.  
 102 Ubi prohibetur antecedens, prohibetur etiam omne id, quo pervenitur ad illud, prout est Regula Juris.  
 103 Ubi dubium oritur, consulenda est Ecclesia.  
 104 Commentaria, et Glossae supra Conc. Tridentinum fieri nequeunt.

§. I. Antequam Matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium Parocho continuis diebus Festis, in Ecclesia, intra Missarum solemnia, ad ipsius Concilii praescriptum, publice denunciatur, inter quos Matrimonium sit contrahendum.

1 2 Ad detegenda impedimenta, quae facile oiri possunt in Matrimoniis, institutae fuerunt denunciationes, seu, ut alii dicunt, publicationes, de quibus sermo est in hoc Paragrapho; quae tamen non sunt de substantia Sacramenti Matrimonii. Barbos. *de Off. et pot. Episc. p. 32. alleg. 32. n. 1.* Nihilominus earum omissio voluntaria facit, ul contrahens Matrimonium sine illis scienter, praesumatur in mala fide, ut sequendo Text. *in l. qui contra jura, de Reg. jur. in 6.* notat Wames *Cons. 534. n. 8. de Inst. de dispens. matr. l. 1. cap. 4. n. 448.* Barbos. *decis. 1. n. 137.* Card. de Luca *de matrim. disc. 16. n. 16.* et firmavit Rota *in Mediol. Impotentiae 16. Martii 1588.* §. *Verum coram Gyptio.* Circas quas denunciationes nonnulla veniunt notanda; et primo.

3 4 5 Non semper istas denunciationes fieri ante Matrimonium contrahendum, sed justis de causis posse, cum facultate Ordinarii, posticipari: Atque hoc praecipue fieri quando probabiliter timetur, impediendum malitiose fore Matrimonium, si una, vel trina monitio praecedat. Sed cum clausula, et cautela, quod non nisi post factas denunciationes consummetur Matrimonium, nisi Ordinarius, cujus id prudentiae committit Concilium, aliter iudicet fieri debere. Vide Perez *l. 1. t. 14.* et Barbos. *de Off. et pot. Ep. alleg. 32. p. 2. n. 19.* et alios. Idem quoque notatur in sequenti §. 9.

6 Quoad numerum denuntiationum, Ternas praescribit Rituale. At cur trinae, non vero binae, vel numerosiores? Nullus Doctor, quod sciam, assignat rationem hujus numeri, sed tantummodo conjecturari potest ex Ecclesiae placito, quae in

numero ternario, tanquam perfectissimo magnum mysterium condidit. Multa enim fiunt per hunc numerum in ministerio Ecclesiastico. Ratio probabilis fortasse est, in nostro casu, quia Ecclesia supponit, per intervallum trium dierum disjunctorum, totum Populum bene informatum fore de Matrimonio contrahendo.

7 8 9 Potest tamen super his tribus denunciationibus Ordinarius, seu ejus Vicarius, dispensare rationabiliter, et justis de causis, quae sufficit ut extrajudicialiter cognoscantur per alleg. a Barb. *d. n. 38. 39.* ubi multae enumerantur causae, propter quas potest Episcopus dispensare vel ab una, vel a duobus; vel ab omnibus: Vide Barb. *d. l. a n. 41. ad 49. inclusive.* Hoc unum tantummodo dicam, hujusmodi denunciationes, sine dispensatione Ordinarii, non posse a Parocho omitti, absque culpa gravi, et poena suspensionis, Monacell. *t. 3. tit. 2. for 5. num. 2.* ubi etiam notatur, quod denunciationum omissio non annullat Matrimonium, et non praesumuntur fratae in dubio, sed ab allegante probandae sunt, et demonstrandae.

10 11 Atque hae denunciationes faciendae sunt tribus continuis diebus Festis. Videtur quod huic Rubricae adverteatur opinio Reginaldi allegata cum aliis a Barb. *d. n. 12.* Vult iste eximius Doctor, quod melius intelligendum sit de Festis, quae sibi non succedunt immediate. Sed *in Tr. de Off. et pot. Parochi, p. 2 c. 21.* hanc opinionem appellat Vulgi, non vero Doctorum: ideoque non amplectendam. Igitur de tribus diebus Festis sibi succedentibus, et *continuis*, nullum haberi debet dubium, dummodo tamen inter unam, et aliam denuntiationem Parochus non interponat multos dies Festos; ita ut ob magnum temporis intervallum, seu moram, fieri possit, ut Parochiani tardiores evadant ad deferenda impedimenta, si quae sint, et interim obliviscantur praecedentium denunciationum, Sanchez *lib. 3. disput. 6. num. 8.* Coninek *disput. 27. decis. 5. numer. 4.* et alii apud Barbosam *dicto. loco.*

12 13 Diebus itaque Festis faciendae sunt denunciationes, super quibus neque Episcopum posse dispensare, docet Zerol. *Prax. Episc. p. 1. verb. matrim §. 4.* Gratian. *discept. for. cap. 83. num. 28.* Sanchez *l. 3. disp. 6. nu. 9.* nisi fuerit dies aliquis, quo ingens hominum multitudo ad Ecclesiam accedit, ut evenire solet quando insignis Ecclesiastes concionem habiturus est: vel est dies Festus dedicationis illius Ecclesiae, etiam si non servetur nisi usque ad meridiem, qua in eo licite fieret denunciatio sicut in Festo, Sanchez *d. disput. 6. nu. 9.* Cui addi potest Festum etiam minus solemne, sed magnae devotionis, et concursus ad Ecclesiam; vel ad Altare: Non enim potior ratio est illa de Concionatore, quam haec de festo simplici.

Aliqui volunt etiam, quod fieri possit denunciatio occasione ministracionis Sanctissime Viatici ad Infirmos, vel expositio-

nis Sanctissimae Eucharistiae, quando adsit magnus populi concursus, sed hoc videtur esse contra intentionem Ecclesiae, quae ideo dies festos decrevit, ut Populus nullam causam absentiae adducere posset, et tempus Missae statuit usque ab initio, quia ad hanc tenetur Populus diebus festis accedere. Populus item deciperetur, si alio tempore, quam festivo, et intra Missarum solemnia id fieret, cum ipse in usu habeat Missae interessendi etiam pro audiendis similibus denunciationibus: Imo dari potest, ut quis hoc determinatum tempus praestoleretur ad audiendas, et ad se certiorandum de talibus denunciationibus, ut possit impedimenta revelare sibi nota: quod minime faceret, si diebus non festivis denunciationes fierent, atque ita deceptus in sua intentione maneret.

14 Ex hoc etiam improbanda videtur sententia Barbosa dict. l. n. 21. et Doctorum ab eo allegatorum, qui volunt, posse Parochum valide denunciationes facere extra Ecclesiam, et extra Missarum solemnia, si magnus Populi concursus, et locus aptus sit, ut ad multorum notitiam perveniant. Quod si hoc verum esset, quis quaeso impediret, ne Parochus ad Plateas Publicas se conferens, nundinarum tempore quasi tuba praecerneret has denunciationes? Sed Summi Pontifices, locum, et tempus Sacrum assignarunt optimo innixi fundamento, ut scilicet conveniret Populus religiose ad Templum, et legitimam notitiam futuri Sacramenti perciperet.

§. II. Si vero Vir, et Mulier Parochiae sint diversae, in utraque Parochia fiant denunciationes; quibus denunciationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem Matrimonii procedatur. Sed si quid obstat, ultra Parochus non procedat.

15 In utraque Parochia fieri debent denunciationes, si Sponsi non unius Parochiae ejusdem sint, quia illi, qui sunt de Parochia mulieris, fortasse nescient impedimenta Viri, et e contra. Ledesma q. 45. a 5. punct. 3. Hoc etiam fit, quia uterque Parochorum habet jus super suo Grege, nec illud amittere potest. (Intelligendum semper hoc venit si ambae hujusmodi Parochiae sint ejusdem Dioecesis. Quod si ex diversa Dioecesi essent, Regula est, ut impetretur pro uno attestatio status liberi approbata ab Ordinario loci, in quo contrahitur Matrimonium.) Si vera contrahentes plura habuerint domicilia, seu Parochias, faciendae sunt denunciationes in ea, in qua diutius morati sunt, et principaliorum habuerunt larem; vel potius in ea, in qua verosimilius impedimenta detegi possunt. Regu-

la tamen tutior est, ut petatur Parochia antiqua, non ea, in qua de recenti habitant, Sanch. lib. 3. disp. 6. a n. 4.

16 17 18 Statim hac denunciationes factae sunt, an possit celebrari Matrimonium, disputant Doctores, Barbosa d. c. 21. num. 24. est in voto, quod statim, ac denunciationes factae sint, (nisi temporis angustiis prematur, sive instantis Adventus, vel Quadragesimae) ad Matrimonii celebrationem Parochus devenire non debeat, sed trium, vel saltem duorum dierum spatium interjicere, ut liceat unicuique de impedimentis excogitare, eaque aperire, et idem confirmat in Tract. de Off. et potest. Episc. alleg. 32. n. 54. ubi advertit, quod quando de licentia Ordinarii, una tantum denunciatio praemittitur, non statim, ea facta, contrahendum sit Matrimonium, sed per aliquod tempus arbitrio prudentis viri differendum, ut revelari possint impedimenta si extant, Ricc. Resol. 224. n. 4. et alii.

19 Quidquid fit de consuetudine expectandi vel multos, vel paucos dies, certum est, quod Matrimonio celebrari non debet illamet die, qua facta sit postrema denunciatio, quia haec festinatio impedit intentionem Ecclesiae, quae est, ut tale Matrimonium deducatur ad notitiam Populi non tantum adstantis in Ecclesia tempore denunciationum, sed etiam extra existentis, per relationem eorum, qui adfuerunt. Ita habemus in I. Synodo Ravennat. Archiep. Crispi, P. 2. c. 10. §. 6.

Insuper dari debet justum, et discretum tempus, quo aliquis de Parochia possit accedere ad Parochum, ut revelet impedimenta, si adsint. Ad nihilum enim inserviret tertia denunciatio, si illico, ea facta, Matrimonium celebraretur, nemine contradicente, nec contradicere valente.

20 21 22 Quod si aliquod Impedimentum, licet non plene probatum, objiceretur Parocho, iste immediate amplius non est sui juris circa hoc Matrimonium, nec ad alias denunciationes procedere potest, et multo minus neque ad celebrandum Matrimonium, quia cum cognoscere de natura Impedimentorum spectet ad solum Episcopum, Spin. Spec. test. gloss. 15. n. 28. et Sanchez l. 3. disp. 8. n. 2. Parochi facultas cessat, donec ab Episcopo pronuncietur de veritate, vel insubsistentia oppositi impedimenti.

23 Circa quae sciendum est, quod Matrimonium ad dictum unius Testis impeditur, Crott. de Testib. p. 6. n. 212. Textus item est in cap. super eo, de Test. et in cap. Praeterea, de Sponsal.

§. III. Quod si aliquando probabilis fuerit suspicio, vel alia rationabilis causa subsit, arbitrio Episcopi, Matri-

Com.—P. 28.

monium malitiose impediri posse, si tot praecesserint denunciations, tunc de licentia Ordinarii, vel una tantum fiat denunciatio; vel saltem Parocho, et duobus, vel tribus testibus praesentibus Matrimonium celebretur; deinde ante illius consummationem denunciations in Ecclesia fiant; ut si aliqua subsunt impedimenta, facilius detegant, nisi aliter Ordinarius ipse expedire judicaverit.

In Paragrapho 7. hujus Tituli dictum fuit quantum satis pro explicatione praesentis Paragraphi; idem dicit Barbos. *de Episc. num. 19.* ubi notat, quod Parochus, quoties timetur Matrimonium malitiose impediri posse, non potest denunciations omittere, ut fiant antequam consummetur, nisi dispensatio difficillime obtineri possit ab Ordinario.

24 25 Quo vero ad Testes, coram quibus fieri potest Matrimonium, tam in hoc casu, quam in aliis, Regula est: quod ultra Parochi assistentiam, seu Sacerdotis ejus vices gerentis de ejus licentia, ad hoc ut matrimonium valide contrahatur, necessaria est praesentia duorum, vel trium Testium, docet Conc. Trid. *sess. 24. de ref. matr. cap. ibi; et duobus, vel tribus, etc.* Quae praesentia debet esse simultanea, non successiva, juxta mentem Concilii, quod copulative exigit illam; Barbos. *d. alleg. 32. num. 137.*

26 27 Circa Testium qualitatem, nullam affert Concilium restrictionem, seu exceptionem: ideoque possunt esse impuberes, consanguinei, domestici, et etiam infames, dummodo rationis compotes sint. Ubi nota, quod Barbosa *d. l. n. 138.* probat, Foeminas etiam id posse, licet ipso jure a testificandi potestate arceantur; *ex. c. mulierem, ibi nec testes esse;* et ibi *gloss. q. 5. et in c. forus. in fine, Farinac. de Testib. q. 59. c. 2. n. 33.* Consuetudo tamen non admittit Foeminas in hoc casu; cum Testes legitimos, idoneos, et omni exceptione majores in Matrimonio requiri dicat Franc. Molin. *de Ritu nupt. l. 1. comp. 8. n. 64. et seqq.*

28 29 Neque de necessitate Venit, ut isti Testes sint rogati cum nullo jure in Matrimonio ista solemnitas requiratur; et sufficit si vi detendi intersint, dummodo intelligant consensum contrahentium, ut advertant quod agitur, Barbos. *d. n. 139.* et alii.

§. IV. Has autem denunciations Parochus facere non aggrediatur, nisi prius de utriusque contrahentis libero consensu sibi bene constet.

31 32 Si aliter ageret Parochus, inverso ordine operaretur; ex vi enim consensus provenit facultas denunciandi: aliter essent omnino frustraneae denunciations, nondum consensu elicitio, et opinor, quod in hoc casu iterari deberent denunciations factae ante consensum, quia veniunt de consequenti.

33 Iste consensus, per quem fiunt sponsalia, est initium contractus matrimonialis, et elici debet coram Testibus, non in domo Sponsorum, sed in Ecclesia, vel domo Parochiali, ut optime statuit noviter in sua *prima Synodo Diaec. Ferrarien.* Eminentiss. et Reverendiss D. Card. Ruffus. Qua occasione consensus, seu sponsalium, debent Sponsi Parocho facultatem impertire faciendi consuetas denunciations, super Matrimonio inter illos contrahendo, debito tempore.

§. V. Si vero infra duos menses post factas denunciations, matrimonium non contrahatur, denunciations repetantur, nisi aliter Episcopo videatur.

36 37 38 Nimis angusta videtur limitatio, et restrictio Ritualis ad duos solummodo menses: nihilominus, cum arbitrio Ordinarii id relinquatur, potest esse vera opinio Barbosae *dict. allegat. 32. num. 55.* qui ad quatuor menses ampliat hanc praescriptionem, per allegata a Rebell. *de obligation. just. p. 2. l. 4. in declarat. Card. sect. 2. n. 8. Bonac. de Matr. q. 4. punct. 6. n. 1. vers. 4.* Et quando omittuntur denunciations, statuit S. C. ut post contractum, octo dies ante consummationem, semel fiant; et alibi jubet ut nisi necessaria causa obstet, bis, aut ter fiant ante consummationem, Teste Chamerota *tab. 17. vers. 6. nota.*

§. VI. Denunciations autem fiant hoc modo. Inter Missarum solemniam Parochus populum admoneat in hanc sententiam, vulgari sermone.

§. VII. *Notum sit omnibus hic praesentibus, quod N. Vir, et N. Mulier, ex tali, vel tali familia, et Parochia, Deo adjuvante, intendunt inter se contrahere Matrimonium. Proinde admonemus omnes, et singulos, ut si quis noverit aliquod consanguinitatis, vel affinitatis, aut cognationis spiritualis, vel quovis aliud impedimentum inter eos esse, quod Matrimonium contrahendum invicem impediatur, illud quamprimum nobis denuntiare debeat: et hoc admonemus primo, si fuerit prima, vel*

*secundo*, si fuerit *secunda*; *vel tertio*, si fuerit *tertia* denuntiatio.

39 40 41 42 43 Aliquid circa hoc dictum fuit in explicatione §. 1. hujus Tituli: modo addendum est; quod nihil refert, an Missa dicatur a Parocho vel ab alio Sacerdote, aut an alius Sacerdos vel Clericus sit, qui de mandato, seu consensu Parochi, faciat denuntiationes, dummodo fiant alta, et intelligibili voce tempore Missae: et locus esse solet post oblationem factam Panis, et Vini, ante ablutionem. Potest pariter Parochus non celebrans, accedere ad Altare, ubi alius Sacerdos celebret Missam, et ibi captato tempore, suas denuntiationes, more solito, facere.

44 An vero istae denuntiationes haberi possint in Ecclesia non Parochiali, sed Parochiae subjecta, et die solemnitatis, seu dedicationis, et tituli, contendunt inter se Doctores, qui hinc inde afferunt rationes suas: sed mihi videtur tutior sententia illorum, qui hoc dubium affirmative resolvunt, quia, licet Ecclesia illa non sit Parochialis, est tamen in Parochia. Dum enim Rubrica nostra praescribit, quod denuntiationes debeant fieri in utraque Sponsi, et Sponsae Parochia, non limitat Ecclesiam: sed in nostro casu, vere fiunt tales denuntiationes in Parochia, et tempore magni concursus, ergo ita agendo Rubrica non violatur, neque ejus praeceptum.

45 Vulgari sermone faciendae sunt istae denuntiationes. Sic Sacerdotale Brix. *de Sac. Matrim. dist. 8. c. 4. n. 4.* post narratam formulam latinam, aliam subdit Germanico idiomate. Item, *Conc. Prov. Med. Act. part. 4. de Sac. Matr.* ponit formulam denunciandi Italice, tali pacto.

56 *Si notifica alle carità vostre, come N. Figliuolo di N. della nostra Parochia, è con l'ajuto di Dio per far Matrimonio con N. Figliola di N. della Parochia medesima nostra: Però se alcuno di voi sapesse, che tra di loro fosse impedimento alcuno di parentela, ovvero di cognazione spirituale, che nasce dal Battesimo o dalla Cresima; o altra proibizione, ovvero impedimento, per il quale non potessero insieme far Matrimonio, venga, come è tenuto in coscienza, a notificarlo a me Curato quanto prima: Avvertendo, che siccome ciascheduno è tenuto notificare l'impedimento, che sa, così dee guardarsi di notificar alcuno falsamente: che oltre l'grave peccato, che commetterebbe, ci è ancora la pena della scomunica: e questa è la prima nostra monizione.* Ita dicit Parochus si fuerit prima denuntiatio: Si fuerit *secunda*, dicit: *E questa è l'ultima, e penultima monizione.*

Hanc totam formulam de verbo ad verbum adnotavit quo-

que in suo *Sacramentali S. Ferrariensis Ecclesiae*, Joannes Fontana olim naster aeterna memoria dignus Episcopus, qui olim S. Caroli Vicarius extitit in Civitate Mediolani, et per semitas gloriosi Antistitis sui duxit Gregem suum in toto suo Regimine.

Hodie vero restrictiori, et compendiosa formula communiter utuntur Parochi, quae paucis mutatis haec esse solet.

47 *Essendo per contraere il Santo Matrimonio N. Figlio di N. della Parochia N. con N. Figlia di N. di questa mia Parochia: Perciò se alcuno avesse notizia di qualche legittimo impedimento, che potesse impedirne l'effetto, è obbligato in coscienza, e sotto pena di peccato mortale a notificarlo: E questa si è la prima, o la seconda, o la terza pubblicazione.*

48 Advertat Parochus, quod si una tantum denunciatio foret faciendae, vel duae, ex dispensatione Ordinarii, debet id Populo adstanti notificare, ne expectet tertiam denunciationem ad revelanda impedimenta, quatenus adsint, et ipsi innotescant.

49 Item animadvertere debet Parochus, in denunciationibus Viduorum, debere dicere, et exprimere nomen vel Viri, vel Uxoris praemortuae, et nomen, et Cognomen, et Patriam, necnon Parochiam contrahere volentium; Et si Pater, vel unius, vel alterius, vel amborum decesserit, debet hoc exprimere per verba *Filius, vel Filia quondam N. . . .*

§. VIII: Moneat Parochus conjuges, ut ante benedictionem Sacerdotalem in Templo suscipiendam, in eadem domo non cohabitent, neque Matrimonium consumment, nec etiam simul maneant; nisi aliquibus propinquis, vel aliis praesentibus: quae benedictio a nullo alio, quam ab ipso, seu ab alio Sacerdote, de ipsius Parochi, vel Ordinarii licentia, fieri debet.

50 51 52 Non semper Nuptiae sunt benedicendae, sed tantummodo quando sunt primae, ut in sequenti Paragrapho dicemus. Quando igitur Matrimonium inter non amplius conjugatos celebratur, utique benedicitur: et quia potest dari, quod celebretur sine Missa, et sine benedictione, quae Matrimonium subsequitur; ideo magna cura adhibenda est, ut Sponsi, et de recenti conjugati separatim vivant. In una enim domo difficile custodiri possunt, et propterea sunt separandi. *Act. Med. p. 4. de Matrim.* hoc admonent rigore, denunciantes gravissimis Decretis illius peccati absolutionem Archiepiscopo esse reserva-

tam, eique gravem poenitentiam esse decretam. Quamvis enim haec Benedictio videatur de consilio per illa verba: *Moneat*, nihilominus per consuetudinem ut lex invaluit: quapropter gravi poenitentia memini olim punitos fuisse a Card. de Verne Episcopo Ferrariae duos Sponsos, qui, nulla habita benedictione, ad Matrimonii consummationem processerant.

53 54 Quod Bededictio ista fieri debeat a solo Parocho privative quoad alios, indubitatum est, ita decernente Concilio Trident. *Sess. 24. de Matrim. cap. 1.* et ratio est quia hujusmodi Benedictio est actus consecutibus Matrimonii, ad quod unice habet jus Parochus, Quart. *de Benediction. dub. 2. num. 296.* Quod si Parochus alienus, vel alius quivis Sacerdos auderet benedicere Sponsos sine licentia Parochi proprii, vel Ordinarium, peccaret utique mortaliter, quia, ut docet idem Quart. *loc. cit.* Concilium Tridentinum id graviter prohibet sub poena suspensionis latae sententiae.

55 Ita DD. communiter apud Sanchez *de Matrimon. l. 9. disp. 82. n. 4.* Et ratio prohibitionis est, quoniam qui non habet jus in celebrando Matrimonio, nec illud habet in benedicens illi. Quamvis enim sit, quod stet aliquando Matrimonium sine Benedictione, attamen Benedictio sine Matrimonio non datur: ergo cum iste sit actus consequens, et quodammodo cum primo conjunctus, non potest consummari, nisi ab eo, qui facultatem habent in antecedenti.

56 Ubi viget consuetudo, quod a Sponsis detur oblatio seu Eleemosyna, est danda Parocho, occasione Benedictionis, non autem alteri Sacerdoti, etiamsi de Parochi licentia benedixerit Sponsis. Ita *S. R. C. in Acheront. 25. Jan. 1602. rel. a Barbos. de pot. Paroch. p. 2. c. 28. n. 98.*

§. IX. Caveat etiam Parochus, ne quando conjuges in primis Nuptiis benedictionem acceperint, eos in secundis benedicat, sive Mulier, sive etiam Vir ad secundas Nuptias transeat. Sed ubi ea viget consuetudo, ut si Mulier nemini unquam nupserit, etiamsi Vir aliam Uxorem habuerit, nuptiae benedicantur, ea servanda est. Sed Viduae nuptias non benedicat, etiamsi ejus Vir numquam Uxorem duxerit.

57 De origine, causis, et mysteriis nec non de effectibus Benedictionis Nuptialis, suo loco dicemus, *in titulo de Ritu celebrandi Matrimonium.* Nunc de prohibitione benedicendi secundas Nuptias dicendum est.

Dico igitur, *ex cap. Vir, de secundis Nupt.* prohibitum esse benedicere secundas Nuptias. Ratio ex S. Thoma habetur *in 4. dist. 42. qu. 3. art. 2. ad 2.* quia secundae nuptiae deficiunt a plena Sacramenti significatione: Cum enim Matrimonii Sacramentum significet unionem Christi cum Ecclesia; et Christus hanc Ecclesiam non deseruerit, ut ad aliam accederet, non impletur plene haec significatio a fidelibus cum ad secundas nuptias transeunt. Alias rationes vide apud quart. *d. sect. 11. t. 3. disp. 1. dub. 3. n. 397.* et in Barbosa *d. n. 102.*

Ut in praxi clare ponatur haec Rubrica, dicam, Sponsos in primis Nuptiis esse semper benedicendos: in secundis nunquam, sed quia haberi potest aliqua correspectivitas ad virum, vel ad Mulierem, has tabulas pro majori instructione efformabo.

58	<i>Vir primo nubens.</i>	}	<i>Benedicendi sunt.</i>
1	<i>Mulier primo nubens.</i>		
	<i>Vir secundo nubens.</i>	}	<i>Possunt de consuetudine benedici.</i>
2	<i>Mulier primo nubens.</i>		
	<i>Vir primo nubens.</i>	}	<i>Non sunt benedicendi.</i>
3	<i>Mulier secundo nubens.</i>		
	<i>Vir secundo nubens.</i>	}	<i>Non sunt benedicendi.</i>
4	<i>Mulier secundo nubens.</i>		

Ista sunt quatuor genera Matrimonii, quae dari possunt secundum quatuor Personarum status, et eorum associationem, intelligendo semper in quacumque Tabula, quod primus nubat cum secunda, scilicet Vir cum Muliere sibi immediate subsequente.

59 Secunda harum Tabularum, quae demonstrat quod possit Benedictio solemniter fieri si Foemina nondum fuerit benedicta, etiamsi Vir jam nuptus fuerit, approbatur per consuetudinem receptam, ut observat Covarruvias *de Sponsal. 2. c. 8. §. 11. n. 2. Gregor. l. 2. verb. no decem ser velados. t. 11. p. 4. Genuen. d. prax. c. 59. Aloys, Ricc. Prax Resol. 313.* et alii apud Barbos. *d. num. 103.*

60 61 Tutior, et universalis regula pro Parocho est, ut quando Mulier nondum fuerit nupta, semper nuptiae benedicantur, quia Benedictio cadit proprie supra Sponsam: ideoque Ecclesia utitur, colore Albo in Missa de Sponso, et Sponsa, quia supponitur in Sponsa benedicenda carnis integritas, atque ideo Viduae non benedicuntur, Gavant. *p. 1. t. 18. rubr. 2. litt. d.*

62 Insertur etiam Benedictio necessaria Mulieri, ex maledictione Matri viventium Hevae illata a Deo. *Gen. 3.* ubi dixit: *Multiplicabo aerumnas tuas: in dolore Paries Filios; et sub Viri potestate eris, et ipse dominabitur tui.* Ut igitur ad Sacramentum novae Legis accedat per quod concipiet, pariet,